

aliorumque virorum doctorum. Auctores autem omnes ita adhibuit, ut vera nomina plerumque supprimere (ita titulos Gruterianos solet acceptos referre schedis Barrassianis), coniecturas a se temere excogitatas aut tacite proferret aut adeo auctore adscripto, denique accepta pessime interpolaret (v. inter alia adnotationes ad n. 1195. 1208. 1321. 153\*. 177\*. 180\*). Quam ob rem quidquid fide unius Lupuli stat, parum tutum est, sive de loco indicando agitur, sive de varia lectione. Sed tamen ut ab interpolatione non abstinuit, ita a titulis comminiscendis sibi cavit; certe quos primus protulit, cum sint sepulcrales fere exigui momenti et eorum alii postea visi sint ab idoneis testibus, in reliquis autem causa nulla appareat, cur talia quispiam finxerit, ne in his quidem ultra interpolationem videtur progressus esse.

XII. IOHANNES ANTONIVS CASSITTO Boniti prope Mirabellam degens c. a. 1790 (nominant eum passim Lupulus in itinere Venusino ed. eo anno, item Vitale in historia Ariani ed. a. sequenti, ubi p. 300 narrat eum parare commentarios de oppidi Boniti vicibus, extantque etiam in epistulario Gervasiano epistulae eius ad a. usque 1813), item filius eius FRIDERICVS CASSITTVS, quem ipse adii a. 1845, hisce studiis operam ita dederunt, ut alios titulos descriptos ephemeredibus insererent vel cum amicis communicarent, aliis domi suae collocatis museum quoddam antiquitatum patriarcharum sibi pararent. Friderici schedas ipso permittente exutere potui; continebant eae inscriptiones alias petitas ex libris Pacichellii Pratillii Bamontii aliorumque, alias exceptas ex ipsis saxis cum Aeclanenses non paucas tum alias easque saepe positas in locis aviis et parum notis, sed non optime descriptas, interdum etiam interpolatas (v. n. 1089 et infra edendam Casalberensem), alias denique aliunde ignotas et sine dubio falsas (v. n. 147\*. 173\*. 192\*). Fridericum Cassitum hominem sanctissimum ab omni fallacia longe afuisse

mihi constat, nec scio a quo fraudes hae profectae sint; sed hoc expertus dico caute admodum sceladas eius adhibendas esse. — Museum autem Cassitianum, quo illi de rebus et patriis et nostris egregie meruerunt, nuper aut dissipari aut pessumdati nuntiavit Dresselius.

XIII. Nostra aetate Raimundus GVARINI Mirabellanus ab a. 1812 ad a. 1852 colligendis et edendis titulis Aeclanensibus instituit, ut egregio exemplo doceret quid posset indefessa industria et multorum annorum tenax consilium. Quod si sequerentur homines licet parum docti, strenui tamen et honesti, ut fuit Guarinius, per singula fere oppida thesaurus lapidarius incredibiliter augeretur. Sed prava hominum socordia quotidie perire sinit cui tot saecula pepercérunt. Obscuraverunt tamen has Guarinii virtutes alia vitia; lapides describit non accurate, edit neglegentius etiam, exempla incuriose facta sive sua sive aliena tacite corrigit, ut de emendandis iis plerumque desperes, neque facile bis eundem lapidem similiter profert. In opusculis et libellis in praefatione recensis, quorum numerum ne ipsum quidem dum adviceret novisse puto, inscriptiones dispersit opera numquam non fugitiva, ut quid quo loco ante ediderit neque ipse curaret neque alios curare putaret. Quae omnia non sine summa molestia et taedio ingenti collegi et coniunxi neque puto me ex eius libellis aliquem fugisse; adhibui etiam epistulas eius ad institutum archaeologicum et ad Kellermannum datas. Falsa ab hoc auctore non proficiscuntur, nisi quod bis terve deceptus est schedis antiquioribus a se adhibitis (ric. Ecl. p. 72. 164; nov. mon. Ecl. 1824 p. 29 seq.).

XIV. Aeclanensem agrum et ego olim pervestigavi et pervestigaverunt amici BRVNNTVS iteratis vicibus, Otto HIRSCHFELD, Henricus DRESSEL, quorum omnium ut gnava et fructuosa opera fuit, ita Dresselius itinere meo iussu a. 1874 suscepto optime de hac sylloge meruit.

1091 [=1088] cippus rep. Aeclani ubi est aedicula S. Prisci restituta  
1843 GVAR. Prope passo di Mirabella BRVNN.

ab una parte:  
DEO  
N· ARRIVS · DEXTER  
A· NYMPHODOTI·L.

ab altera:  
D · E · O  
N · A · D  
M · N · L · B  
V · S · L · M

Recognoverunt Brunn Hirschfeld Dressel. Guarini comm. XIIIX p. 34.

Exhibui Dresseli apographum optimum, a quo reliqua non multum recedunt. 1, 3 fin. L·R Guar. ex supplemento. — 2, 3 fin. L·R Guar.; B magis videri quam R ait Dressel.

1092 [=1086] in parva lamina aerea olim penes Millingenum, quam ex coniectura rettuli inter Aeclanenses.

DEO · AETER  
NO · AECLA  
NIA · PRIM.  
ITIVA · VOT  
5 L · S

Descripti.

1093 basis marmorea (*giallo venato*) litteris aevi sequioris, rep. Aeclani  
in cryptis, est in domo Ferri.

GENIO · SAC

Descripserunt Hirschfeld et Dressel.

1094 Passo di Mirabella.

GENIO  
SACR  
INIVS

Descripserunt Brunn et Dressel.

1095 [=1084] litteris non optimis. Mirabellae *sopra le torrette* EGO BRVNN DRESSEL; extra castellum PAGLIA. Ante aedes Ferrandi MET. — Auxitonae in Samnio, vulgo Cidogna PIGH. (cf. praef.); Frequenti LVP. errore.

H E R C U L I  
A E L I A N O  
S A C R U M  
Q V E M · C O N S A C R A  
5 V I T · S A M M I V S ·  
T E R T V L L I N V S ·  
E X M A I O R I A R I O

Descripti ego, recognoverunt Brunn et Dressel. Proponunt Metellus cod. Vat. 6039 f. 362' a Simone Vallamberto (inde Pighius cod. Luzac. p. 72, cod. mus. f. 13; Grut. 1069, 10 ex Pighianis); Paglia cod. Vat. 5241 p. 602; Bellius apud Aegyptium; Lupoli n. 1 ex schedis Barrassianis; Guarini ric. Ecl. ed. 4 p. 71, ed. 2 p. 79 qui vidit.

*Maiorarius* vocabulum, quod redit in titulo Pinnensi ex schedis Toppianis nuper edito a Capasso (*notizia di alcune iscrizioni Abruzzesi* Neapoli 1866 p. 7): *T. Flavio Maximiano ex maior. vivus sibi posuit. Dalmati*, item fortasse in urbanis duobus vol. VI n. 1641: [C. Furius Timisitheus | . . . praef. praetorio | . . . tati cum · maior · iaris | . . . mo fortissimoque et n. 3445: evok. [Aug. mai]oriario prae[f. praet. ?] . . . mesorum, quid significet ignoratur. Quod autem vulgo ponitur ex maiorario eum esse qui fuerit magnarius, id est μεγαλέυπορος, omnino reiciendum est, cum suturam qui exercere desiit Latine nemo dixerit ex sutore. Immo maiorarius omnino aut officialis fuit aut potius miles, nam in militibus maxime reperiuntur formulae quales sunt *ex equite*, *ex librario*. Capassus observat in chartis medii aevi Neapolitanis passim nominari *aerarios et maiorios*, sed id quid significet, pariter ignorari.